DE SATURAE ROMANORUM NATURA.

COMMENTATIO PHILOLOGICA

QUAM

CONCESSU

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

LITERARUM ACADEMIA ROSTOCHIENSI

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CONSECUTUS

SCRIPTAM EDIDIT

JOANNES FISCH,

PHILOSOPHIAE DOCTOR,

IN GYMNASIO MONASTERIENSI AD EIFLIAM MAGISTER TERTIUS.

ROSTOCHII.

LITERIS ADLERIANIS.

MDCCCLXVII.

FRATRI

OPTIMO ET BENEVOLENTISSIMO

RICHARDO HENRICO

PAROCHO IN EBERHARDICA CLUSA

DIOECESIS TREVERENSIS

PII GRATIQUE ANIMI DOCUMENTUM

HUNC LIBELLUM

D. D. D.

SCRIPTOR.

Postquam sero a Graecis subiectis poesi Romam translata litterae in dies magis magisque apud Romanos florere coeperunt, singuli poetae varia poesis genera ita excolebant, ut propriam indolem plane ad devictos conformarent (cf. Hor. epist. II, 1, 156 sqq.). Nam non solum plerumque materiam et argumenta, verum etiam formas modosque a Graecis mutuabantur. Quis enim nescit, Virgilius, princeps inter Romanorum poetas epicos, quantum Homero; inter lyricos Horatius quantum Alcmani, Alcaeo ceterisque Graecorum poetis lyricis; inter comicos Plautus et Terentius quantum scriptoribus mediae comoediae Atticae debuerint (cf. Ter. prol. ad Adelph. 11). Poetas denique tragicos non minus Graecorum poetas atque ex his imprimis Euripidem esse imitatos, demonstrant quum nomina fabularum perditarum, tum fabulae ipsae, quae ad nostram aetatem pervenerunt. Ex decem enim una tantum est fabula praetexta quae vocatur. Unum vero poesis genus, saturam, non a Graecis petitam, sed propriae Romanorum inventioni esse vindicandam, quamquam nonnulli et veterum grammaticorum et virorum doctorum et nomen et ipsum carminis genus a Graecorum fabula satyrica esse derivandum censuerunt eamque quasi parentem saturae Romanorum iudicaverunt, contendere nihil dubito. Nam spec-

tata et ipsius vocabuli saturae derivatione ac notione et Romanorum scriptorum de prima huius poesis generis natura testimoniis et natura fabulae Graecorum satyricae, quin satura Romanorum cum fabula satyrica Graecorum, nullo pacto componi possit, dubium esse non potest. Qua re ad quaestionem illam, quae diu viros doctos vexavit dirimendam, quae fuerit prima huius poesis generis natura et quid Romanorum scriptores de ea iudicaverint, ante omnia videamus necesse est.

Romanorum animos ad cavillandos alios ac perstringendos iam inde ab antiquissimis temporibus valde inclinatos fuisse, ipsi veteres scriptores auctores sunt. Horatius enim narrat, eos post messem conditam dies festos agentes non solum diis gratias agere, sed etiam versibus Fescenninis opprobria rustica fundere solitos fuisse (cf. Hor. epist. II, 1, 139 sqq.). Versus autem illi Fescennini erant rudes et inconditi, obscoenis et procacibus iocis pleni neque ullis metri legibus adstricti (cf. Liv. VII, 2). Tantum autem erat Romanorum studium aliorum lacessendorum, ut ne honestis quidem dignissimisque viris parcerent et in ipsis imperatorum triumphis iocos solutos iactarent (cf. Plin. H. N. XIX, 41, 3; Liv. III, 29; IV, 53; V, 49; X, 30. Suet. Caes. 49; Hor. Sat. II, 1, 82; Cic. Tusc. IV, 2, 4; de Rep. IV, 11). Haec omnia dilucide demonstrant, Romanorum ingenii scurrilem leporem vel potius mordacitatem ac maledicentiam propriam fuisse. Mirandum igitur non est, proprium ab iis poesis genus excultum esse, quod ad aliorum stultas et perversas cupiditates castigandas spectaret. Hoc autem ab rudibus illis atque incomptis versibus Fescenninis originem duxisse, Livius memoriae prodidit. Narrat enim (lib. VII, c. 2): „C. Sulpicio Petico et C. Licinio Stolone consulibus (anno 390 u. c.) pestilentia orta

ludiones ex Etruria Romam accitos sine carmine ullo, sine imitandorum carminum actu ad tibicinis modos saltasse et haud indecoros motus more Tusco dedisse."

Erant igitur ludi illi saltationes, genus quoddam mimorum sine verbis actum. „Hanc peregrinam artem, Livius porro narrat, iuventutem Romanam imitatam esse simulque inconditis inter se iocularia fundere versibus coepisse, nec absonos a voce motus fuisse." Versus autem illos inconditos eosdem esse, quos paullo infra Fescenninos scriptor nominat, ex totius loci nexu et ex verbis „non, sicut ante, Fescennino versu similem" apparet. Versus autem Fescenninos saturas excepisse, idem Livius testatur. Dicit enim, „histriones non, sicut ante, Fescennino versu similem incompositum temere ac rudem alternis iecisse, sed impletas modis saturas, descripto iam ad tibicinem cantu motuque congruenti peregisse". Hisce igitur verbis descripsit Livius originem et naturam priscae Romanorum saturae, quae rudis quidem et incondita neque unius et constantis sed varii mixtique argumenti, et ut Fescenninis tempore posterior ita magis elaborata et iam ad certos modos rhythmi legesque descripta fuit. Nam anno demum 514 u. c. Livius Andronicus „ab saturis ausus est primus argumento fabulam serere" (Liv. l. c.) i. e. primus fabulas docuit, quae non, ut priscae illae saturae, multas variasque res confundebant, sed apta atque inter se connexa argumenta continebant. (cf. Val. Max. II, 4, 4: „A saturis primus omnium poeta Livius ad fabularum argumenta spectantium animos transtulit." cf. Dion. Hal. Antiq. Rom. VII, 9.) Quum autem hac fabularum compositione a Livio Andronico inventa vel potius Romam translata satura negligi esset coepta, iuventus Romana, ne antiquus ille ludendi mos evanesceret, „ipsa inter se more antiquo ridicula intexta

versibus iactare et fabulis Atellanis risus iocosque inserere coepit" (Liv. l. c.). Quae autem fuerit fabularum Atellanarum, ab Atella, Oscorum oppido, nomen ducentium natura, ex Valerio Max. (II, 4, 4) cognosci potest. Qui dicit, hoc genus delectationis Italica severitate temperatum ideoque vacuum nota fuisse. Erant igitur fabulae Atellanae non tam obscoenae et lascivae, quam facetae et ridiculae. Veteres grammatici eas cum Graecorum fabula satyrica saepe composuerunt. Dicit enim Diomedes (lib. III p. 487 ed. Putsch): Tertia species est fabularum Latinarum, quae a civitate Oscorum Atella, in qua primum coeptae, Atellanae dictae sunt, argumentis dictisque iocularibus similes satyricis fabulis Graecis." Marius Victorinus (de iambico metro II) postquam de metris, quae Graeci in fabulis satyricis usurpare solebant, dixit, pergit: „quod genus nostri in Atellanis habent", et iterum (lib. III de trim. versu iamb.): „hoc metrum Atellanarum scriptores appetiverunt; est enim iocosis motibus emollitum gestibusque agentium satis accommodatum." Quod autem fuerit discrimen inter fabulas illas et Graecorum fabulas satyricas, ex Diomede cognosci potest. Dicit enim (III p. 487 Putsch): „Latina Atellana a Graeca satyrica differt, quod in satyrica fere satyrorum personae inducuntur, aut si quae sunt ridiculae, similes Satyris, Autolycus, Busiris; in Atellanis Oscae personae, ut Maccus." Ex his veterum grammaticorum testimoniis apparet, similitudinem quandam inter Graecorum poesin satyricam et Romanorum fabulas Atellanas intercedere; has vero omnino non ab illa originem duxisse, Livii verba (l. c.) dilucidissime comprobant. Restat, ut ad memorabilem Livii locum plane absolvendum pauca addam de significatione verbi „exodia". Ex ipso loco facile intelligemus, exodia differre illa quidem ab Atellanis, sed semper iis adiuncta fuisse. Qua re Ju-

venalis (VI, 71) significatione „exodium Atellanae“ uti non dubitavit. Omnino falsus esse scholiasta mihi videtur, qui ad Juv. III, 175 adnotat: „Exodiarius apud veteres in fine ludorum intrabat, quod ridiculus foret, ut quidquid lacrimarum atque tristitiae coegissent ex tragicis affectibus, huius spectaculi risus detergeret.“ Nam Atellanarum naturam non tristem sed iocosam et ridiculam fuisse, satis supra expositum est. Scholiasta verbi derivatione ductus in hunc errorem incidisse mihi videtur, ut exodiis eandem, quam Graecorum fabulae satyricae naturam tribuerit. Livii autem verba „exodia conserta fabellis potissimum Atellanis sunt“ ea non tam fini subiecta, quam inter ipsas Atellanas docta esse demonstrant. Caveas autem putes, inter singulos actus eiusdem fabulae Atellanae exodium intercessisse; potius plures fabulae uno die doctae atque his exodia inserta videntur.

Apparet igitur, priscam Romanorum saturam omnino non a Graecis repetendam esse. Sed accedunt etiam duo gravissima testimonia alterum Horatii, Quintiliani alterum. Ille enim saturam Romanam carmen Graecis intactum nominat (cf. Hor. Sat. I, 10, 66), hic (X, 1, 93) dicit: „Satura quidem tota nostra est.“ Cum his testimoniis optime ipsius vocabuli „satura“ derivatio ac notio conveniunt. Supra enim vidimus saturae argumentum sibi non constitisse sed multis variisque rebus effectum esse. Id autem omnia grammaticorum testimonia comprobant, vocabulum saturae semper esse usurpatum ad rem significandam, quae varie composita esset. Scholiasta enim ad Hor. Sat. I, 1, 1 adnotavit: „Lanx plena diversis frugibus in templum Cereris infertur, quae saturae nomine appellatur“, et Diomedes (III p. 403) dicit: „Lanx referta variis multisque primitiis sacris Cereris inferebatur et a copia et a saturitate rei sa-

tura vocabatur" (cf. Virg. Georg. II, 194 et 394). Ab similitudine huius lancis aliae quoque res varie mixtae et compositae saturae nominatae sunt. Diomedes enim (l. c.), quoddam genus farciminis multis rebus refertum Varronem (in libr. II Plautinarum quaestionum) saturam esse vocitatam adnotavisse, dicit et adiicit, saturam esse uvam passam et polentam. Quin huius verbi usus tam late patebat, ut etiam translata notione usurparetur ad quamlibet mixturam diversarum rerum significandam. Festus enim saturam dicit cibi genus ex variis rebus conditum et legem multis aliis legibus confertam. Inde orta est locutio „per saturam legem ferre" ad significandum: una rogatione multa confuse, nullo ordine aut distinctione proponere. Hanc notionem Titus Annius Luscus in oratione contra Tib. Gracchum habita verbo subiecit. Dixit enim: „Imperium, quod plebes per saturam dederat, id abrogatum est." Imperium autem „per saturam datum" nominavit, quod uni rogationi multa promiscue admixta erant. Pari modo in Sallust. Jug. XXIX verba „per saturam exquisitis sententiis" significant, nullum ordinem in sententiis exquirendis servatum esse. Eandem significationem vocabulo illi tribuit Justinianus in praef. in Pandect., ubi haec verba leguntur: „Hoc opus legentibus tradebatur non secundum edicti perpetui ordinationem, sed passim et quasi per saturam collectum". Charisius dicit: „Adverbium Stoici πανδέκτην vocant; nam omnia in se capit, quasi collecta per saturam, concessa sibi rerum varia potestate." (cf. Charis. col. 175.) Pescennium Festum libros historiarum per saturam scripsisse Lactantio (lib. I, 21) auctore constat. Is libros suos ita inscripsit, quod, ut Aelianus eo libro, quem „ποικίλη ἱστορία" inscripsit, res nullo temporis vel populorum ordine habito enarravit.

Denique vocabulum „satura" sumptum esse pro genere

carminis, in quo multa metra multaeque res erant mixtae, Festus auctor est. Dicit enim (l. c.): „Satura et cibi genus dicitur ex variis conditum et lex multis aliis conferta legibus et genus carminis, ubi de multis rebus disputatur.“ Idem sentit Porphyrio, qui ad Hor. l. c. adnotat: „Ergo hoc carmen propterea saturam appellaverunt, quia multis et variis rebus refertum est.“ Comprobatur haec a grammaticis et interpretibus proposita explicatio verbis Juvenalis. Dicit enim (I, 85):

Quidquid agunt homines, votum, timor, ira, voluptas,
Gaudia, discursus, nostri est farrago libelli.

Farrago autem, quum proprie significet genus pabuli varie mixtum et compositum (cf. Varro r. r. 2, 7, 13; Paul. Diac. p. 91), optime ad notionem vocabuli „satura“ quadrat. His argumentis allatis dubium esse non potest, quin hoc poesis genus Romanorum inventioni sit vindicandum.

Nihilo minus non pauci et veterum grammaticorum et virorum doctorum similitudine nominum ducti originem eius a Graecorum fabula satyrica derivare non dubitaverunt atque verbum littera y non i scribendum esse censuerunt. (cf. Diomed. III p. 483.) In hoc errore Euanthius versatur, sive quisquis auctor fuit libelli de tragoedia et comoedia; dicit enim: „Et hinc deinde aliud genus fabulae, id est, satyra sumpsit exordium, quae a Satyris, quos illotos semper et petulantes deos scimus esse, vocitata est; etsi aliunde nomen traxisse prave putant alii.“ Huic autem testimonio et Diomedi (l. c.) praeter ea, quae supra exposui, alia haud minoris momenti argumenta obstant. Rationem enim carpendi verbisque mordacibus lacessendi, quam priscae saturae Romanorum propriam fuisse supra vidimus, Graeci non verbo *σατυρίζειν*, sed multis aliis, ut *σκώπτειν*, *διασύρειν*, *κωμῳδεῖν*, *ἰαμβίζειν*, *ἐφυβρίζειν* signi-

ficaverunt; verbum autem *σατυρίζειν* non tam de cavillando quam de petulanti lascivia acceperunt. Praeterea si a Graecorum Satyris derivatum est nomen „satura", cur Graeca forma Satyrica non sit retenta, vix intelligi potest. Ad Euanthium refellendum et Diomedem (l. c.) permultum denique valet, quod Romani, priusquam litterae Graecae Romae innotuerunt, iam vocem illam, ut supra demonstravi, usurpaverunt. Nam inter C. Sulpicium Peticum, C. Licinium Stolonem, quibus consulibus iuvenes Romanos impletas modis saturas peregisse, Livius (l. c.) memoriae prodidit, et Livium Andronicum, qui primus litterarum Graecarum cognitionem Romam apportavit, plus saeculi spatium intercedit. Ne nomen quidem Satyrorum priscis temporibus notum erat Romanis; nam numina illa agrestia F a u n o s non Satyros vocaverunt. Nugas tantum eos protulisse, qui, Horatii nonnullis A. P. locis (v. 221, 225, 233, 235) nisi, Romanorum saturam cum Graecorum fabula satyrica conferre studuerunt, leviter tantum totius loci nexum inspicientibus statim apparet. Horatius enim in universum de arte poetica praecepta tradens, postquam de tragoedia egit, quin etiam de fabula satyrica, quae tragoediae erat annexa, nonnulla adderet, facere non potuit. Quod autem dicit (A. P. 234—235):

„Non ego inornata et dominantia nomina solum
Verbaque, Pisones, Satyrorum scriptor amabo"

non est intelligendum, eum re vera fabulas scripsisse, sed verba „Satyrorum scriptor" vim habent conditionalem et significant, si scriptor Satyrorum essem, vel, si unquam fabulas satyricas scribere vellem.

Restat, ut nonnulla de Graecorum fabulae satyricae natura addam, quo magis intelligatur, quantum inter eam et Romanorum saturam discrimen intercedat. Diomedes

(III) fabulam illam hunc in modum definit: „Satyrica est apud Graecos fabula, in qua item tragici poetae non reges aut heroas, sed satyros induxerunt ludendi caussa iocandique simul, ut spectatores inter res tragicas seriasque Satyrorum quoque iocis et lusibus delectarentur.“ (cf. Hor. A. P. 220 sq.). Marius Victorinus (de metr. II p. 2527) eam tragicarum fabularum comitem, et Demetrius Phal. *παίζουσαν τραγῳδίαν* appellant (cf. Origenes c. Cels. VII c. 23). Testimonia illa diversam fabulae Graecorum satyricae a prima Romanorum satura naturam demonstrant. Fabula enim satyrica erat poema dramaticum, quod, satyrorum chorum habens, tragoediis annexum erat ad omnem tristitiam detergendam, quam spectatores e tragoediarum argumentis perceperant.

Quod antiqua forma „satura“ postea mutata est in „satira“ nihil offensionis habere potest. Eiusmodi exempla haud pauca et veteres scriptores et inscriptiones perhibent, ut decumus, legitumus, maxumus, lacruma, aestumo, cluens, lubido, lucet (pro licet), lubet, sacruficare, magnuficus, signuficare, caputalis, surrupio multaque alia.

Post hanc explicationem de origine et natura veteris Romanorum satirae ad singulos huius poesis generis scriptores accedam et quam viam quamque rationem unusquisque in ea excolenda inierit, aperiam, ut cognoscatur, quam diversas species ea induerit. In diiudicandis autem singulis poetis satiricis, qui cuiusque fuerit animi affectus, quae vitae condicio videamus necesse erit nec minus ratio habenda erit aetatis, qua poetae vixerunt. Nullum est enim poesis genus, quod magis sit filia temporis, quam satira. Prisca illa satira, cuius Livius exhibuit imaginem, postquam naturam dramaticam exuit, varias inde formas induere coepit. Quae enim eius fuerat antea petulans mordacitas,

postea coercebatur et certis legibus adstringebatur, id quod iam in Ennii saturis agnosci potest, quae quidem ut dramaticae illae, et metrorum et carminum varietate mixtae erant, sed differebant potissimum et severitate soni et arte metrorum et plane omissa natura dramatica.

Litterarum Graecarum et Romanarum maxime peritus Ennius in variis et poesis et prosae generibus elaboravit. Quot vero satirarum libros scripserit, incertum est; non minus autem sex earum exstitisse libros testatur Donatus, qui (ad Ter. Phorm. II, 2, 25) sextum librum laudat. Huic testimonio repugnat schol. Porphyr. (ad sat. I, 10, 46), qui eum IV libros satirarum reliquisse dicit, fortasse hoc loco numerus IV corruptus est. Quae autem satirae Ennianae natura fuerit, neque ex paucis, quae restant, fragmentis neque ex titulis singulorum librorum neque ex veterum scriptorum testimoniis accurate intelligitur. Id vero affirmari potest, saturas eius magna varietate argumentorum abundasse. Varietati argumentorum respondebant varia quoque versuum genera, quos, Graecos imitatus, Ennius non tam ioci causa adhibuit, quam quod ipsorum argumentorum varietatem mutato metro illustrare statuit. Quod quum ex fragmentis relictis intelligi potest, tum Quintilianus comprobat. Dicit enim (X, 1, 95): „Alterum illud et iam prius saturae genus, sed non sola carminum varietate mixtum condidit M. Terentius Varro“; verba enim „iam prius genus“ quin ad Ennianam satiram pertineant, dubium non videtur. Quod Quintiliani testimonium firmatur a Diomede. Dicit enim (III p. 483): „Satira dicitur carmen apud Romanos nunc quidem maledicum et ad carpenda hominum vitia archaeae comoediae charactere compositum, quale scripserunt Lucilius et Horatius et Persius; sed olim carmen, quod ex variis poematis consta-

bat, quale scripserunt Pacuvius et Ennius." Quantam metrorum varietatem Ennius adhibuerit, ex fragmentis, quae Nonius affert, apparet. Nam in uno libro et versu heroico et iambico trimetro usus est. Huc referendum quoque est Gellii testimonium. Dicit enim (II, 29): „Hunc Aesopi apologum Q. Ennius in satiris scite admodum et venuste versibus quadratis composuit, quorum duo postremi isti sunt, quos habere cordi et memoriae operae pretium esse sane puto:

„Hoc erit tibi argumentum semper in promtu situm,
Ne quid exspectes amicos, quod tute agere possies."

Quamquam haec non tantam vim habent, ut accurate de compositione et natura saturae Ennianae iudicare possimus, tamen apparet, eam valde diversam fuisse a prisca illa, quam supra cognovimus.

Nam quamquam varietate et argumentorum et metrorum et singularum partium iunctura, quia non curans aptam dispositionem et partium nexum, plurimas sententias vitae communi utilissimas cumulasse satis habuit, antiqui ruris vestigia servavit, tamen longe alienus fuit a petulantibus illis iocis et cavillationibus; et quum argumentis e vita petitis utilitatem communem moresque hominum spectaverit, saturarum eius naturam didacticam recte definias.

De Pacuvii saturarum natura nihil constat, nisi eas Ennianis simillimas fuisse. Nam Diomedis loco c. excepto earum nusquam mentio fit.

Ennianae saturae naturae proxima est Varroniana. Itaque priusquam de Lucilio agamus, qui quidem tempore Varrone multo prior est, quaenam sit Ennianae cum Varroniana satira similitudo videamus.

Tanta omnium litterarum copia Varro erat instructus, ut Quintilianus (X, 1, 95) eum eruditissimum Romanorum nominare non dubitaverit (cf. Cic. ad Att. XIII, 18).

Maxime dolendum est, quod iniqua fati vi saturae eius interciderunt. Ex fragmentis vero relictis et ex veterum scriptorum testimoniis facile agnoscas, maximam fuisse Varronianae satirae cum Enniana similitudinem, quae et ad argumentorum rationem et ad dicendi formam et singulorum verborum usum potissimum referenda est. Ad cognoscendam vero in universum Varronianae saturae naturam Quintiliani locus (X, 1, 95) maximi momenti est. Dicit enim: „Alterum illud et prius satirae genus sed non sola carminum varietate mixtum condidit Terentius Varro, vir Romanorum eruditissimus.“ Ex his verbis apparet, Varronianae in universum eandem fuisse naturam, quam veteris saturae (Ennii et Pacuvii). Differebat vero eo, quod Varro etiam pedestrem orationem saturis immiscuit. Id enim verba: non sola sqq. significare videntur. Quod ad argumenta saturarum attinet, ut Varro multo maiorem varietatem adhiberet, quam Ennius, maxima, quae eius aetatis erat morum perversitas, postulabat. Itaque non solum hominum vitia, effrenatas libidines, avaritiam, impietatem, perfidiam perstringebat, sed etiam philosophiam, grammaticam, artem poeticam, res historicas et mythicas intexuit, id quod fragmenta et tituli saturarum demonstrant (cf. Rambachius ad Casaubonum de satyrica Graecorum poesi et de Romanorum satira p. 200 sq., ubi fragmenta et tituli afferuntur). Ut in argumentorum ratione, ita etiam in verborum usu similitudinem inter Varronis et Ennii saturam facile agnoscas. Tot enim obsoleta verba in Varronis saturis occurrunt, ut eum potius Plauti et Terentii, quam Ciceronis aequalem putes. Huiuscemodi exempla sunt: difficul, fastidiliter, caperata frons, bubulcitari, commalaxare, multaque alia (cf. Gerlach, proleg. ad Lucilium p. CV). Quantacunque autem inter saturas Ennii et Varronis inter-

cedit similitudo, ne nimium quid ei tribuas cavendum est. Id enim naturae saturarum Varroniarum proprium erat, ut philosophiam maximeque cynicam impudentiam spirarent.

Quantum Varro Menippo debuerit, ipse testatur, quod saturas suas Menippeas nominare non dubitavit, id quod Gellius (II, 18) memoriae prodidit, qui dicit: „Servus Menippus fuit, cuius libros M. Varro in satiris aemulatus est, quas alii cynicas, ipse appellat Menippeas." Cf. Cic. Acad. 1, 2, ubi ipse, se in satiris suis Menippum esse imitatum, his verbis declarat: „Et tamen in illis veteribus nostris, quae Menippum imitati, non interpretati, quadam hilaritate conspersimus, multa admixta ex intima philosophia, multa dicta dialectice, quae quo facilius minus docti intelligerent, iucunditate quadam ad legendum invitati, in laudationibus, in iis ipsis antiquitatum prooemiis philosophiae, scribere voluimus, si modo consecuti sumus." Satiras eius igitur varietatem rerum ex omnibus litterarum generibus decerptarum complexas esse, liquet. Id etiam confirmatur a Cicerone, qui (Acad. I, 3) his verbis eum compellat: „Atque ipse varium et elegans omni fere numero poema fecisti philosophiamque multis locis inchoasti ad impellendum satis, ad docendum parum." Cum his testimoniis conferendus est Athenaeus Deipn. lib. IV. pag. 160, c., qui dicit: „*μέμνηται τῆς παροιμίας καὶ ὁ ἐμὸς προπάτωρ Οὐάῤῥων, ὁ Μενίππειος ἐπικαλούμενος.*" Inde factum est, ut nonnulli Varronem Menippi familiarem sive discipulum falso putarent, quos refellit Probus ad Virg. Eclog. VI, 13, his verbis usus: „Varro Menippeus non a magistro, cuius aetas longe praecesserat nominatus, sed a societate ingenii, quod is quoque omnigeno carmine satiras suas expoliverat." Verba „satiras suas" hoc loco significant, Menippi libros Romanis satiris similes; nam non Menippum sed Pro-

bum hoc nomen iis tribuisse, maxime verisimile est; nusquam enim alias satirarum Menippi mentio fit. Quum igitur Varronem in satiris suis Menippum imitatum esse constet, quidnam librorum Menippeorum proprium fuerit, videamus necesse est. Id autem ex Strabone (XVI) cognosci potest, qui dicit: „*ἐκ τῶν Γαδάρων ἦν Μελέαγρος καὶ Μένιππος, ὁ σπουδογελοῖος*“, et ex Diogene L. (VI, 99), qui dicit: „*φέρει μὲν οὖν σπουδαῖον οὐδέν· τὰ δὲ βιβλία αὐτοῦ πολλοῦ γέλωτος γέμει καί τι ἴσον τοῖς Μελεάγρου, τοῦ κατ' αὐτὸν γενομένου.*

Haec sufficere puto ad naturam saturae Varronianae cognoscendam. Quae, quum prosa cum carmine, Graeca cum Latinis, seria cum iocis, res e communi vita petitae cum litteris, varie ac promiscue sint coniuncta, vix ad poesis genus referenda esse, sed novum quoddam litterarum genus constituisse mihi videtur. Quod eo magis mirandum est, quod iam Lucilius multis annis ante hoc litterarum genus limatius fecerat eaque forma tractaverat, quam in universum posteriores scriptores servabant. Usus est Lucilius familiaritate Scipionis et Laelii (cf. Hor. Sat. II, 1, 72 sqq.), qui permultum valebant ad revocandum iuvenilem animum a malis libidinibus, quae in dies magis magisque in rempublicam irrepere coeperunt. At ut bonae virtutes iacere, sic artes et litterae florere coeperunt. Scribendi loquendique studium neque legibus neque timore impediebatur. Graecorum litteris iam exculti Romani rusticam iocorum asperitatem, qua antea usi erant, plane exuerant et Graecos imitantes linguam suam ad Graecam magis magisque formabant. Tantopere mutata condicione et litterarum et reipublicae satiram Lucilianam ab Enniana, quam supra cognovimus, plurimum differre erat necesse. Quod discrimen tantum fuit, ut Horatius (Sat. I, 10, 48) Lucilium in-

ventorem saturae Romanorum nominare non dubitaverit. Hoc enim loco verbum „inventor“ ad Lucilium, non ad Ennium, id quod nonnulli voluerunt, esse referendum, satis dilucide docuit C. F. Hermannus (in Ind. lectt. Marburg. 1841). Cf. Hor. Sat. I, 10, 66 et imprimis II, 1, 62: „cum est Lucilius ausus Primus in hunc operis componere carmina morem.“ Cum his Horatii testimoniis conferendus est Quintilianus (X, 1, 93): „Satira quidem tota nostra est, in qua primus insignem laudem adeptus est Lucilius“, et Acro ad Sat. I, 1, 1: „Satiricum carmen a primo omnium auctore Lucilio repertum est.“ (cf. Plin. praef. H. N. Diomed. l. c.)

Quaeritur igitur, quaenam potissimum sit caussa, cur scriptores Lucilium inventorem saturae nominaverint, quamquam in eo poesis genere iam alii antea elaboraverant. Cavendum ante omnia est, ne, testimoniis illis ductus, Lucilium novum quoddam et adhuc plane ignotum poesis genus excogitavisse putes. Scriptores enim hisce testimoniis significant, eum pro rudi illo atque incondito poesis genere, in quo Ennius elaboravit, et multo magis perpolitum creavisse et alienum ab Ennii eruditione et arte saturam ad leporem Romanum vernaculamque festivitatem revocavisse multoque clarius populi Romani ingenium moresque expressisse, denique saturae talem naturam tribuisse, qualem posteriores poetae satirici servabant. Lucilius enim, homo emunctae naris (cf. Hor. Sat. I, 4, 8), qui acute aequalium vitia animadvertebat, non, ut Ennius, in universum aetatem suam, sed nominatim omnes, qui stulta atque inania petebant, castigabat mira, quae eius propria erat, orationis festivitate, urbanitate, gracilitate. (cf. Gell. VII, 149, Fronto epp. ad Ver. I p. 71 ed. Rom.) Cum sese ad Scipionis et Laelii partes applicavisset, omnes,

quos eorum consilia atque instituta impedire et salutem reipublicae labefactare cognoverat, acriter perstrinxit. Nulli, neque nobilibus neque hominibus popularibus pepercit, sed detrahere pellem cupiens, nitidus qua quisque per ora cederet, introrsum turpis (cf. Hor. Sat. II, 1, 64), omnes aculeo suo persecutus est (cf. Hor. Sat. II, 1, 68 sq.). Qui enim erat vehemens animi eius dolor ac liberrima indignatio ob aetatis perversitatem et mores in dies magis magisque ad foeditatem vitiorum labentes, non tam ad attingendam et deridendam, quam acriter incusandam hominum stultitiam aggressus est. Non autem malevolentia aut invidia ductus saturas scripsit, sed quod corruptos mores emendari non posse persuasum habebat, nisi omnes vitiis et sceleribus famosi homines summa libertate notarentur. Severi eius et acerbi animi, quo in effrenatas civium libidines invectus est, testimonium praebet Quintilianus, qui eius libertatem, acerbitatem, abundantiam salis commemorat, et Horatius, qui eum acrem nominat et eum multo sale urbem defricuisse dicit (cf. Sat. I, 10, 3 sq.), et maxime Juvenalis, qui eum ense velut stricto ardentem infremere dicit (cf. Juv. I, 165; cf. Pers. I, 114). Quanquam autem acerrimus castigator morum corruptorum exstitit, tamen alienus fuit a nimis elato spiritu ac violentia, quam Persium cum acerbitate coniunxisse infra videbimus. Summa enim iucunditate, venustate, hilaritate, facetiis, subtilitate, sententiarum lepore satura eius praestans erat, ita ut Varro eum gracilitatis exemplum nominaret. Mireris fortasse, in Lucilio, viro summi ingenii et consuetudine Scipionis aliorumque virorum praeclarissimorum et litterarum Graecarum et Romanarum studio edocto, negligentiam quandam versuum componendorum ab Horatio vituperari. Dicit enim, versus eius incomposito currere pede (cf.

Sat. I, 10, 1), eum saepius lutulentum fluere (Sat. I, 4, 11; cf. Sat. I, 10, 50) et nominat eum garrulum et pigrum scribendi ferre laborem (Sat. I, 4, 12) et durum componere versus (Sat. I, 4, 8), quippe qui in hora saepe ducentos, ut magnum, versus dictet, stans pede in uno (Sat. I, 4, 9 sq., I, 10, 56 sqq.). Quod acre Horatii iudicium neque Varro confutare potest, qui genus orationis Lucilianum gracile dicit, cui subtilitas inest et venustas, neque Quintilianus, qui dicit (X, 1, 94): „Ego quantum ab illis, tantum ab Horatio dissentio, qui Lucilium fluere lutulentum et esse aliquid, quod tollere possis, putat. Nam eruditio in eo mira et libertas atque inde acerbitas et abunde salis." Nam in fragmentis invenientur multa verba Graeca Latinis immixta (cf. Gerlach ad Lucil. p. CXXIX; cf. Hor. Sat. I, 10, 20), verba Graeca in Latinas terminationes exeuntia, denique non pauca verba ab antiquissimis temporibus repetita (cf. Gerlach p. CXLIII). Quae quum confirment Horatii acre de Lucilio iudicium, tamen id mitigatur aliquantulum, quod Lucilius ut mores ita etiam sermonem populi exprimere studuit, et ad hunc sermonem quotidianum imitandum magis quadrat nuda et incompta, simplex et non ita valde elaborata, quam verbis nimia promittens oratio. Id enim potissimum inter Ennianam et Lucilianam discrimen intercedit, quod, quum Ennius in saturis ad Graecorum carmina didactica maxime accessisset, Lucilius Italicum leporem saturis infundere studuit et salibus, animi libertate, orationis festivitate ad antiquae comoediae Atticae poetas accessit, unde non solum sermonem quotidianum ac paene pedestrem, verum etiam dicacitatem ad saturas suas transtulit et mutato tantum metri genere et facie poesis priscam comoediam retulisse videtur (cf. Hor. Sat. I, 4, 1 sqq.). Inde deducenda est verborum libertas, quam Cicero

(ad Famil. XII, 16) ei tribuit, inde orationis asperitas et versus illi politiores quidem Ennianis, sed non tam compti, quam posteriorum poetarum satiricorum, inde sumpsit stili nasum, quem Lucilium primum condidisse dicit Plinius (praef. H. N.), hic est singularis, quem vocat Varro (r. r. III, 2, 7), character Lucilianus. Quod non raro spurca versibus intexuit, non est, cur eum accusemus. Hoc enim quum omnium satiricorum est proprium, tum in Lucilio etiam magis excusandum est, quod non verborum ambagibus, sed nude ac vere omnia hominum vitia, in quae maxima indignatione ferebatur, incusare studuit. Quidquid enim perversum videbat sive in republica administranda, sive in publicis moribus, sive in privatorum vita, perstrinxit; sed non solum ad perversitates castigandas aggressus est, verum etiam in carpendis poetis et Graecorum et Romanorum occupatus fuit, id quod veterum scriptorum testimonia demonstrant. Dicit enim Horatius (Sat. I, 10, 53 sq.):

„Nil comis tragici mutat Lucilius Atti?
Non ridet versus Enni gravitate minores?"

Ad hunc locum Schol. Porphyr. adnotat: „Facit autem haec Lucilius quum alias tum in tertio libro et nono et decimo." Gellius (17, 21 extr.) dicit: „Neque magno intervallo postea Q. Ennius ac subinde et Pacuvius et Pacuvio iam sene Attius clariorque tunc in poematis eorum obtrectandis Lucilius fuit." Servius (ad Virg. Aen. XI, 601): „tum late ferreus hastis horret ager" — versus Ennianus vituperatus Lucilio dicenti per irrisionem, debuisse eum dicere, „horret et alget"; unde Horatius de Lucilio, „Non ridet versus Enni" sq. Ne Pacuvium quidem abisse illaesum, docet versus apud Nonium (cf. fragm. XXIX, 63). Euripidem perstringit apud Gellium (VII, 3). Denique maximam omnium rerum varietatem complectebantur saturae

eius; nam et locorum, montium, fluminum, maris tempestatum lepidas intexuit descriptiones; multis quoque locis egit de re militari; inerant fabellae vel e poetis excerptae, vel sermonibus populi celebratae. Quantam argumentorum, tantam metrorum adhibuit varietatem. Quum enim Ennii et Pacuvii asperitatem mollire et impolitam veteris saturae naturam verborum lepida iunctura expellere studeret, priscum illum versum Saturnium non iam convenire huic novo poesis generi putabat. Itaque rudis illius et horridi versus loco versum heroicum substituit. Quamquam iam Ennius hoc metro in saturis interdum usus est, tamen Lucilius primus plerumque adhibuit, ita ut proprium huius poesis generis fieret, a quo posteriores poetae satirici nusquam abstinebant. Quapropter recte de eo Lydus de magistrat. (I, 41): „*Ῥίνθωνα, ὅς ἑξαμέτροις ἔγραψε πρῶτος κωμῳδίαν, ἐξ οὗ πρῶτος λαβὼν τὰς ἀφορμὰς Λουκίλιος ὁ Ῥωμαῖος ἡρωικοῖς ἔπεσιν ἐκωμῴδησεν.*“ Neque tamen Lucilio usus hexametri lex erat perpetua, ut omnibus aliis metrorum generibus spretis, eum tantum adhiberet. Sunt enim in fragmentis versus heroici trochaeis et iambis, iambi trochaeis interpositi, denique puri versus iambici et trochaici. Quae quum ita sint, negari nequit, et quod ad argumenta et ad metra attinet, similitudinem quandam esse Lucilianae cum Enniana satura, totam autem Lucilianae saturae naturam tantopere differre ab Enniana, ut recte Lucilius inventor huius poesis generis vocari possit. Mirandum igitur non est, carmina eius a Romanis plurimi habita et diligenter lecta esse (cf. Suet. ill. gramm. c. 2 et c. 14; Juven. I, 165; Pers. I, 114; Gell. IV, 17, 1; IX, 14, 11).

Post Lucilium praeter M. Terentium Varronem (Reatinum) nonnullos alios saturas scripsisse, testis est Horatius, qui (Sat. I, 10, 46 sq.) P. Terentium Varronem (Atacinum)

et quosdam alios frustra in hoc poesis genere elaboravisse dicit. Quorum in numero reponendi sunt Saevius Nicanor, illustris grammaticus, de quo Suetonius (de illustr. gramm. c. 5): „Fecit praeter commentarios et satiram", et Lenaeus, de quo idem Suetonius (l. c. c. 15): „ut Sallustium historicum acerbissima satira laceraret". Perdifficile est, certi aliquid de natura saturarum horum virorum statuere; id autem ex Horatii l. c. colligi potest, eos leves poetas fuisse.

Hos secutus est Q. Horatius Flaccus, longe princeps omnium, qui in hoc poesis genere elaboraverunt. Horatius vir erat hilaris et facetiis salibusque praediti animi. Litterarum studio excultus et consuetudine ingeniosissimorum virorum politus erat. Maxime studebat, ne rebus humanis nimis afficeretur. In recessu libere vivere et contemptis divitiis praesentibus rebus laete frui neque nimis de futuris cogitare, optimam vitae condicionem laudat. Virum tali animi affectu tristem civitatis statum et perversa aequalium studia moleste tulisse, mirandum non est. Tanta autem erat civitatis ruina, vix ut ei subveniri posse videretur. In republica atrocibus bellis civilibus lacerata pro disciplinā severā, durā vitā, continentiā cupiditas insana divitiarum, voluptatum libidinum animos civium impleverat. Libera, quae antea viguerat eloquentia, plane obmutescebat omnesque aut adulandi aut obtrectandi studio ardebant. Haec erat civitatis condicio Horatii aetate. Quantum tempora et ingenium Horatii a Lucilii differebant, tantum differebat natura saturae, quam Horatius ornavit elegantia.

Quas enim in Lucilio cognovimus asperitates, earum nihil in Horatio invenitur, qui subitae illi et saepe horridae et impolitae orationi tersam et limatam, puram et aequabiliter fluentem, facetam et urbanam substituit, neque usquam

verba Graeca Latinis immiscuit et semper versu heroico usus est. Quod erat Horatii ingenium ad hilaritatem propensius quam ad gravitatem, tristi civitatis condicioni non tam acerbo clamore stultos cives insectando, quam leniter deridendo mederi studuit. Jocans irridebat, raro irascens exagitabat, eleganter et suaviter animos movebat, colloquens disputabat atque docebat, placido sermone deterrebat. Quae enim erat civitatis condicio acute intellexit, facilia remedia acribus esse efficaciora. Qua re cum urbanitate ac facetiis praecepta sua hominum animis infudit. Quamquam autem leniter stultitias hominum deridebat, tamen animos civium in se commovit (cf. Sat. II, 1), qua ipsa re veritas saturae Horatianae comprobatur. Rationi eius leniter deridendi mirum in modum versuum compositio respondet. Quamquam enim versu heroico usus est, tamen, quae huius metri est in epicis carminibus vis atque elatio, eam ad saturae naturam non quadrare, poeta perspectum habebat. Nam quum non solum viris doctis saturas scribere, quam in universum homines docere vellet, sermonem quotidianum imitari studuit. Itaque mirandum non est, artificiosae carminum pangendorum rationi simplicitatem sermonis et negligentiam quandam versuum eum praetulisse (cf. Sat. I, 4, 40 sqq.; Epist. II, 1, 250). Inde explicandum est nomen „sermonum", quod Horatius (Epist. I, 4, 1) huic poesis generi tribuit. Quamquam autem genus dicendi sermoni propinquum et repens per humum (Epist. II, 1, 250) et versus sine arte ac labore compositi videntur, tamen tersum, elegans, facilitate, venustate, simplicitate insigne atque idcirco ad vitam communem aptum est. Ad imitationem vitae quotidianae referendum illud quoque est, quod Horatius, ut lectoribus rem magis vividam ante oculos poneret, dramatici carminis formam saturis interdum induit. Magna

enim sententiarum varietate, apto personarum delectu, singulari earum loquendi proprietate dialogus Horatii mire delectat.

Ut dicendi formae argumenta responderent, ea e communi vita petiit. Homines stultos et ineptos, varios et mutabiles, nulla sorte contentos (I, 1), inanis laudis et gloriae cupiditate ductos, nimiam parsimoniam atque sordidam avaritiam consectantes (II, 1), prodigos, luxuriosos, gulosos (II, 4), libidinosos (I, 2), iniquos et malevolos (I, 6), falsos assentatores (I, 9), iudicii elegantiam et poeticam facultatem affectantes (I, 9), anxios et superstitiosos, sceleribus obrutos, denique omnes cuivis vitiorum et ineptiarum generi deditos leniter deridet ac lacessit. Magna cum festivitate, ut civibus ingentes sumptus, quos saepe ad epulas splendide exstruendas impendebant, et profusae vitae damna ante oculos proponat, lectorem ducit ad heluonum elegantissime exstructas epulas, ubi lupus Tiberinus hiat (II, 2, 31) et mullus trilibris apponitur (II, 2, 34). Eodem lepore ad homines, qui in contrarium vitium inciderant, castigandos poeta omni aetatis vitio mederi studens, lectorem ducit ad coenam Avidieni, hominis turpi avaritia infamis, cui propter immunditiam ac sordes Canis nomen erat (II, 2, 56), qui quinquennes oleas est et silvestria corna, ac nisi mutatum parcit defundere vinum, et cuius odorem olei nequeas perferre (II, 2, 57 sqq.). Non minus lepide ac comice deridet homines, qui ad divitias coacervandas neque fenus iniquum, neque periurium, neque falsas accusationes, neque caedem, neque testamentorum captationem expavescebant, quam singularem quandam artem et proprium quaestum exercebant (Hor. Epist. I, 1, 77). A rebus publicis Horatius ad litteras potissimum se convertit. Quamquam in universum minime pepercit stultis hominum

aetatis suae studiis, tamen nusquam vehementius commovebatur, quam ubi de tristi litterarum condicione egit. Castigavit autem potissimum ineptum illud scribendi studium, insanum recitandi furorem, quo aetas laborabat. Moleste ferebat, quod iuvenes, in scholis rhetorum eruditi, vehementer auditorum ineptas laudes quaerebant. Quae cum contemplemur, Horatium depingendis civium perversis studiis nihil aliud spectavisse, quam ut eos ad rectam et honestam vivendi rationem revocaret, apparet. Omni igitur a tempore vel loco vel personis suppeditata occasione usus et dissimulata castigandi voluntate saepe velut aliud agens civium perversitates castigat, saepe a via declinat et variis ambagibus ad finem propositum tendit. Mireris fortasse, poetam praeter stultorum illorum hominum cohortem etiam Stoicos aggressum esse.

Minime enim eorum disciplina digna erat, quae contemneretur. Nam Stoici enixe id operam dantes, ut vitia funditus eraderent et probos et modestos mores cives docerent, fidem, pudorem, denique omnes virtutes commendabant. Cur optimi illi custodes Romuleae gentis a poeta sint derisi, ut intelligatur, cogitandum est, quae fuerit Horatii aetate civitatis condicio. Romani ea aetate rerum humanarum peritissimi erant et in omnibus artibus ac litteris multum profecerant. Stoici vero, quam severissime antiquum morem colentes promissis barbis (II, 3, 35), laceris squalidisque palliis incedentes, sapientem solum liberum esse docentes, aspera duritie Romanorum animos a se abalienabant. Poeta vero, quamquam, virtutem summi aestimans, omnino non contemnebat philosophiae praecepta, tamen, quae aetatis erat condicio, nimis severam Stoicorum vitam ad informandos hominum mores non quadrare et alias, ac Stoici praescribebant, vias patere ad bene beateque

vivendum, modo fortis ac probus animus servaretur, perspectum habebat. Vitam enim bene miscere, haec poetae prima sapientia videbatur. Ad intempestivas Stoicorum rationes deridendas poeta aptissime rem ita instituit, ut Damasippum, hominem ridiculum, qui re familiari perdita Stoica barba superbiens, incedebat, festis Saturnalibus in villam Sabinam irruentem et Stertinii, magistri, qui Scholiasta (ad Epist. I, 12, 20) auctore ducentos viginti libros Stoicorum scripsit, praecepta de virtute magno ore tradentem induceret (Sat. II, 3). Ut hac satura Stoicorum dogma: omnem stultum insanire, et sat. I, 3 alterum: omnia peccata esse paria, ita sat. II, 7 tertium: solum sapientem esse liberum et omnem stultum servum, summa cum elegantia ac festivitate deridet. Maxima autem vis comica in eo cernitur, quod ad hunc finem servi persona, hominis maxime rustici, utitur, qui praecepta non a magistro philosophiae, sed ab ianitore Crispini philosophi, rudi disputandi genere famosi (Sat. I, 1, 120; I, 3, 139; I, 4, 14) percepta Saturnaliorum licentia abutens petulanter tradit. Post hanc explicationem saturae Horatii restat, ut pauca de epistolis addam, quae ad saturarum naturam proxime accedunt. In epistolis poeta idem, quod in saturis spectat. Viam enim monstrare vult, qua ad veram felicitatem pervenire possis, eamque non tam notando et increpando, quam docendo et instruendo ostendere studet. Tradit igitur praecepta, quibus sit vita regenda, eaque plerumque nuda proferuntur, interdum amicis sermonibus inseruntur. Multus fuit poeta in praeceptis tradendis de artis poeticae studio non tam reprehendendi cuiusquam, quam docendi caussa. Recte igitur Dacierius utrumque poesis genus distinxisse mihi videtur, saturas ἐλεγκτικάς, epistolas διδακτικάς et παραινετικάς appellans. In Horatianis epistolis admiramur summam urba-

nitatem et singularem quandam artem, qua eadem saepe argumenta variis tractavit rationibus, modo delectans, modo docens, utile saepe dulci admiscens, animi sui affectus modo liberius modo occultius exprimens. Quum Persius et Juvenalis ad ignotos plerumque saturas epistolarum forma indutas scriberent, Horatius nomina notissimorum virorum elegit, id quod ad fidem augendam permultum valuit. Quamquam Horatius in epistolis pariter atque in saturis ad deridendas stultorum civium perversitates aggressus est, tamen quod ad argumenta, formam, orationem, metrum attinet, discrimen inter utrumque poesis genus intercedere, facile videbis. Quum enim epistolae ad certas personas essent scriptae, et naturae et animi earum rationem haberi necesse erat. Saturae vero, quamquam interdum ad personam quandam scribuntur, tamen nihil ab ea afficiuntur. Quod ad argumenta attinet, maximam eorum varietatem invenies; sed omnia ad ethicum finem spectant. Poeta enim homines docere et instruere et virtutem iis commendare voluit; simul autem et vitia eleganter ac festive carpsit. Quam argumentorum, eandem orationis diversitatem invenies. Quum enim poeta in saturis vir urbanus ac facetus, iuveniliter exsultans, exsisteret, in epistolis gravem, severum, verae sapientiae studiosum se exhibuit. Solutos illos igitur versus, quos in saturis cognovimus, epistolae respuebant et metra legibus magis adstricta postulabant. Haec sufficient ad Horatii poesis satiricae genus cognoscendum. Quam quum comparemus cum Luciliana, errare mihi non videor, quum contendam, multo quidem hac politiorem et limatiorem esse, sed non ita valde ei dissimilem, et Horatium nonnulla Lucilio debere. Nam quod ad argumenta saturae Horatianae attinet, iam scholiasta, Horatium Lucilii vestigia secutum esse, memoriae prodidit. Itineris enim illius Brun-

disini (Sat. I, 5) lepidam descriptionem ad Lucilii exemplum esse compositam Porphyrio l. c. adnotat. Praeterea ut Lucilius (cf. fr. XVII, 3) ad villicum Aristocratem librum scripsit, ita Horatius ad villicum suum, servum morosum, epistolam se mittere fingit (cf. Epist. I, 14). Sed non solum in argumentis, verum etiam in personis eligendis, quas ad vitia quaedam illustranda adhibuit, Horatius a Lucilio pendere videtur. Satirici enim poetae homines aut virtutibus claros, aut sceleribus infames commemorare solebant, ut cives inde exempla in utramque partem capere possent. Multa autem nomina communi consensu ad quosdam mores designandos usurpabantur, ut Gallonii (cf. Lucil. fr. IV, 2), hominis luxuriosi (cf. Hor. Sat. II, 2, 47). Notus non minus erat nomen Maenii (cf. Lucil. fr. inc. 104), hominis prodigi (cf. Acron. ad Hor. Epist. I, 15, 26). Praeter has personas apud Lucilium et Horatium nominatur Opimius (cf. Lucil. XI, 1 et fr. inc. 46), cuius avaritiam Horatius (Sat. II, 3, 142 sqq.) castigat. Pythias quoque scholiasta (ad A. P. 238) auctore nomen personae Lucilianae fuit. Denique Horatius (cf. Sat. II. 7, 97), ubi qualecunque gladiatoris nomen proferri sufficiebat, sub Pacideiani nomine persona Luciliana usus est (cf. Cic. Tusc. IV, 21, 48). Quantopere Horatius Lucilium sit imitatus, intelligi quoque potest ex similitudine nonnullorum versuum, ut: „Purpureo tersit hunc latas gausape mensas“ (Lucil. XX, 9); „Gausape purpureo mensam pertersit“ (Hor. Sat. II, 8, 11); „Quem plane hexametro versu non dicere possis“ (Lucil. VII, 4); „Mansuri oppidulo, quod versu dicere non est“ (Hor. Sat. I, 5, 87); „Socratici charti“ (Lucil. XXXII, 10); „Socraticae chartae“ (Hor. A. P. 310); „Valeri sententia dia“ (Lucil. fr. inc. 105); „Sententia dia Catonis“ (Hor. Sat. I, 2, 32). Quamquam his allatis argumentis apparet, Horatium inter-

dum Lucilium esse imitatum, tamen cavendum est, ne huic imitationi nimium tribuas neve quid de laude Horatiana detrahas. Horatius enim unica inventionis laude Lucilio minor ceteris rebus omnibus est melior ac potior. „Multo enim eo est tersior ac purus magis et ad notandos hominum mores praecipuus“ (Quint. X, 1, 94).

Aequalis Horatii fuit Julius Florus, quem poetam satiricum fuisse Porphyrio (ad Epist. I, 3, 4) auctor est. Horatium eum ob studia poetica plurimi fecisse, testatur epistola ad eum missa (epist. II, 2). Quod ad saturas eius attinet, ex scholiastae testimonio colligi potest, eum ex Ennii, Lucilii, Varronis carminibus praestantissima elegisse et, quae in iis inerant, asperitatibus abstersis, suae aetatis genio accommodasse. Ceterum accuratius quidquam de natura saturarum eius statui non potest, quum praeter scholiastae testimonium nihil de iis memoriae proditum sit.

Multo notior in hoc poesis genere est A. Persius Flaccus. Non solum liberali eruditione, sed etiam consuetudine virorum et moribus et ingenio excellentissimorum, quorum familiaritatem Cornutus ei comparaverat, Persius castum servavit ac modicum ingenium, remotum a perniciosis vitae illecebris, liberum ab inani cupiditate gloriae, veri tantum et honesti studio incitatum, mite quidem, sed severa disciplina triste.

Virum his virtutibus praeditum maxima indignatione turpissima scelera, quibus civitas miserandum in modum vexabatur, tulisse, non est, cur mireris. Jngens luxuries animos plane corruperat et antiquam simplicitatem expulerat. Ut corpus turpibus libidinibus diffluebat, ita animus enervatus iusta et honesta contemnebat et mollia tantum turpiter petebat. Divina et humana negligentes ipsi imperatores in omne genus crudelitatis exardescebant. Caedes

et rapinae civitatem perturbabant. Quae civitatis, eadem litterarum misera erat condicio. Haec turpia vitia et corrupti ac depravati mores Persio, viro praeclarae virtutis et sincerae pietatis, spiritum dederunt. Hoc enim Persii est proprium, ut vitia hominum acriter insectetur. Omnes enim saturae spirant animum vehementer commotum, acerrimo veri studio incitatum, severissime exagitantem aetatis perversos et ab antiqua sinceritate degeneratos mores. Tanto fervore tantaque acerbitate hominum scelera aggressus est, ut iuvenis summae castitatis ac verecundiae obscoena nudis verbis depingere non dubitaret. Eum valde pendere a stoicorum disciplina patet, quum non modo ad eorum dogmata explicanda et commendanda accesserit, verum etiam tota scribendi ratione ad eos sese informaverit. Itaque mirandum non est, fervorem eius non tam vitam, quam scholam sapere. Vitam enim non usu novit, sed qualem scholae severa disciplina repraesentabat. Quod eius ingenium erat triste ac severum et stoica disciplina magis etiam acutum, vitae vero quotidianae expers, non ridebat, sed conviciabatur et atroci impetu ferebatur in vitia, quae nimis acriter putabat exprimi non posse. Qua re factum est, ut quodam modo cum sermone pugnaret et vix verba inveniret ad proferenda ea, quibus animus vehementer exagitabatur. Pro lepore igitur illo ac urbanitate, quibus Lucilius et Horatius utebantur ad cives monendos, in saturis Persii invenimus vim, acerbitatem, gravitatem, duritiam.

Audacissimis gaudet poeta translationibus et durissimis inversionibus; maxime brevis et fortis esse studet. Quibus rebus genus dicendi artificiosum, durum, obscurum factum est. Magnam igitur inter eius et Lucilii et Horatii saturas intercedere differentiam apparet. Quamquam negari non potest, eum Lucilio nonnulla debere, id quod et ex loco in

vita antiqua: „sed mox, ut a scholis magistrisque divertit, lecto libro Lucilii decimo, vehementer saturas componere instituit, cuius libri initium imitatus est“, et ex scholiasta apparet, qui saturam tertiam ex Lucilii libro quarto translatam esse contendit; cavendum tamen est, ne huic narrationi nimium tribuamus. Totam enim utriusque poetae saturarum naturam valde diversam esse, qui leviter tantum Persii saturas perlegerit, confitebitur. Multo autem plus, quam Lucilio, Horatio eum debere, nemo infitiabitur. Nam non solum sermonem ad Horatii exemplum conformare studuit, sed etiam nomina adhibuit, quibus Horatius ad certas personas significandas usus est. Quantumcunque autem imitationi illi tribuendum est, quae inter utrumque erat ingenii et eruditionis differentia et quanta diversitas utriusque aetatis, fieri non potuit, quin multum interesset inter Persii et Horatii saturas. Horatius enim ridendo verum dicens (Sat. I, 1, 24) et tam leniter vitia tangens, ut ipse, quem tangeret, facere non posset quin rideret, facili et decora gratia praestans erat; Persius vero magno fervore invehens nimis fortiter stomachum se effundere et vitia hominum castigare posse non putavit. Huc accessit, ut mollitiei, quam in litteris videbat, maxime repugnaret. Itaque, quum facilitatem et leporem Horatii ad vim et acerbitatem flectere studeret, aspera quaedam inaequalitas in saturis eius exorta est. Quod ad formam attinet, quam saturis induit, similitudinem cum Horatiana facile videbis. Nam non raro in iis amicos alloquitur, quod quidem nihil valet ad rationem, qua argumentum tractat. Ne dialogi quidem forma abstinuit, at non cum una eademque persona ab initio usque ad finem collocutio habetur, sed pro natura exemplorum, quibus e vita sumptis saturas illustrat, oratio viva mox dialogi formam sibi induit. Denique, ut Horatius,

statim initio lectorem medias in res ducit, non antea, id quod in Juvenale videbimus, argumento proposito, quod tractaturus est. Quantacunque autem haec similitudo est, id constat, Persium in saturis longe aliam atque Horatium viam ingressum esse. Stoicorum enim disciplinam ad Persii saturarum naturam multum valuisse, quum ex omnibus fere saturis, tum maxime ex quinta patet, in qua stoicum dogma de libertate explicare studet. Rem ita instituit, ut Cornuto gratias agens, quod sibi philosophiae praecepta impertivisset, civibus studium eius commendaret et acriter in eos inveheretur, qui id negligerent. Solam enim philosophiam docet veram esse vitae magistram; eius studium homines securos reddere ab omnibus malis cupiditatibus. Quod autem stulti suae aetatis homines in aliud tempus differant philosophiae cognitionem, fieri, ut semper vehementibus animi perturbationibus exagitati et pravis libidinibus obnoxii vitam plane perdant. Magis etiam stoicorum scholam sapit satura quarta, ubi castigat eos, qui, quum in aliorum ineptiis corrigendis severissime agant, ad semet ipsos cognoscendos nihil studii conferant. Huius saturae initium a Platonis dialogo, qui est inscriptus „Alcibiades prior" mutuatus est et, quantum proposito suo conducere putavit, disputationem inter Socratem et Alcibiadem, qualis ibi est habita, repraesentavit, neque tamen plane servavit Socratis et Alcibiadis personas, sed, ut res poscebat, nonnulla addidit. Multa enim affert exempla, quae, longe a Platonico dialogo aliena, e vita sumpta et vividis coloribus depicta sunt. In tertia quoque satura, quamquam multas variasque res complectitur, stoica disciplina imbutum animum poetae facile agnoscimus. Perstringit enim homines, qui, quum videant, quid sit rectum et honestum, et cognoscant, se falsas vias esse ingressos, tamen vita vitiis con-

taminata impediuntur, quominus virtutem colant. Qua re commendat civibus studium philosophiae, quae sola vias et rationes monstret, quibus vitia vitare possis. Una tantum restat satura, in qua nihil scholam olet, prima, qua tristem litterarum condicionem aggreditur. Quum enim omnes poeticam laudem captantes in versibus quoquo modo pangendis gloriam ponerent, quin vero animi impetu et vigore sublato litterarum studium in iactationem verteretur, fieri non potuit. Quam condicionem poeta ut penitus cognosceret, schola philosophorum relicta ipsam vitam quaereret, necesse erat. Castigat homines, qui nimio veterum Romanorum poetarum studio ducti (v. 76 sqq.) Graecorum litteras et maxime philosophiam, ut rem inanem spernant (v. 27 sqq.) et commendat Graecorum eximia exempla. Non minus Persius id, quod eius est proprium, singulari quadam arte depingere exempla, quibus totam disputationem illustrare studebat, e schola petiit. Stoici enim ad ethicam maxime philosophiae partem conversi exemplis e vita quotidiana vel ex historia petitis rem propositam illustrare studebant. Quorum disciplinae Persius plane addictus satis habuit, iis exemplis uti, quae schola eum docuit, neque ut Lucilius et Horatius ipsam vitam accurata cognitione complecti studuit. Qua re factum est, ut exempla eius, quamquam e vita petita et subtiliter depicta sunt, non tam suae aetatis veram imaginem exhiberent, quam in universum genus humanum respicerent, id quod nominibus personarum, quibus usus est, satis confirmatur. Nam partim nomina occurrunt, quae ad quemlibet hominem significandum in usu erant, ut Staius (II, 19), Dama (V, 76 sqq.), Tadius (VI, 66), partim ex historia petita, ut Crassus (II, 36), Brutus (V, 85), partim a Graecis sumpta, ut Chaerestratus et Davus (V, 162) a Menandro, partim ab Horatio, ut Cra-

terus (III, 65), Licinus (II, 36), partim plane ficta et ignota, ut Nerius (II, 14), Natta (III, 31), Bestius (VI, 37). Quamquam autem poeta proprio usù ac consuetudine vitam non cognoverat, tamen morum acute et callide pingendorum singulari arte praestabat. Nam non solum in universum depingit vitia hominum, sed vera descriptione et motuum et gestuum corporis, quibus homines ad exprimendos affectus suos uti solent, homines quasi viventes nobis ante oculos ponit. Quam vere enim ac vivide depingit aviam illam, quae pro infante vota suscipit (II, 31 sqq.), quam vere iuvenem illum desidiosum eiusque comitem (III, 1 sqq.), quam lepide Vettidium avarum (IV, 25 sqq.) et Bestium (VI, 36 sqq.). Huc referendum quoque est, quod in depingendis hominum affectibus iis verbis uti studuit, quibus vere exprimerentur. Huiuscemodi exempla sunt: iracundi rugosa sanna (V, 91), ridentium tremuli naso crispante cachinni (III, 87), zelotypus, qui crudum unguem abrodit (V, 162), poeta, qui pluteum caedit et ungues mordet (I, 106), avarus, qui signum in vapida naso tangit lagena (VI, 17) multaque alia. Omittendum hoc loco non est, quod in iis rebus depingendis multus fuit, quae in usu quotidiano sunt (cf. I, 5 sq.; IV, 10; V, 37; III, 21; V, 24) et quod non raro proverbia adhibuit et locutiones, quibus populus in sermone quotidiano utebatur (cf. I, 4. 46. 105. 119; III, 65. 96; IV, 4. 11. 26. 42. 52; V, 104; VI, 56). Quae quum ita sint, non est, cur miremur, Persium in numerum satiricorum receptum esse, qui prae ceteris legebantur, Scaligerum vero, qui (Poet. VI) dicit: „Persius miserrimus auctor, obscuritati studet; non pulchra habet, sed in eum pulcherrima possumus scribere", nimis acriter iudicare, apparet. Negandum quidem non est, multas nobis occurrere obscuritates. Ad

has autem expediendas multum valuit, quod saturae a scitis lectoribus recitabantur. Eae vero obscuritates, quae e nimia brevitate et sententiis abruptis et nimis audacibus figuris imaginibusque ortae sunt, non tam Persii, quam aetatis erant propriae. Longe aliter ac Scaligerus ipsi veteres scriptores de Persio iudicant. Dicit enim Quintilianus (X, 1, 94): „Multum et verae gloriae quamvis uno libro Persius meruit" (cf. Mart. IV, 29, 7; Diomed. p. 482).

Aequalis Persii fuit D. Junius Juvenalis.

In iuvenilem animum alte descenderat turpitudo maximorum scelerum, quibus aetas laborabat. Pudorem, incorruptam fidem, nudam veritatem civibus commendans, censoria severitate in scelera invectus est et extrema remedia ad sananda vulnera civitati inflicta adhibuit. Alienus ab alacri illo, quo Horatius gaudebat, animo non irridendo sed acriter exagitando et flagellando communi labi succurrere studuit. Itaque nulla ordinis ratione habita summa cum indignatione in quolibet scelere obrutos invectus est. Acerrime perstrinxit senatores ac proceres (II, 121), qui gravitatem simulantes omni turpitudine et pravitate famosi erant et prima corruptionis exempla praebebant, quae vulgus sequebatur (II, 78 sq.). Mira arte, vivis coloribus universae miseriae aetatis suae imaginem expressit. Ineptos adulatores, nobilium divitumque amicitias captantes, scelestos adulteros, turpes stupratores, gulae nimis obsequentes, denique omnes effrenatis libidinibus deditos, inanibus fortunae bonis gloriantes, nimio sui amore captos, deliros, molles, effeminatos, sicarios, testamentorum captatores cum acerbitate persequitur. Acerrime vexat (Sat. VI.) mulierum voluptates libidinosas, mollitiem, luxuriam, superbiam, insanam ludorum spectandorum cupiditatem, pertinaciam, suspectam fidem, iracundiam, crudelitatem, eruditionis affec-

tationem, quum in coenis de Homero et Virgilio disputent, et quid sit honestum, quid utile docere voluit. Quod ad vim satiricam attinet rerumque varietatem, qua omnia vitia, quibus mulieres imbutae erant, enarrabat, vix aliud in hoc litterarum genere carmen invenias, quod huic saturae anteponi possit. Ut Persius (Sat. II), ita Juvenalis (Sat. X) stulta hominum vota castigat, sed multo verius et mirabiliore arte rem exornavit et multis sententiis ex ethica disciplina sumptis illustravit, ita ut per multas aetates „Ethicus“ vocaretur.

Quae igitur poetae virtutem summum bonum existimantis indignatio propter maxime corruptam civitatis condicionem erat, mirandum non est, eum respuisse iocos et facetias et pro festivo, eleganti sermone, quem Horatii proprium cognovimus, acri et semper furenti usum esse. Animi eius vehementer irati non erat considerare et quiete docere, sed instare, vexare, exagitare. Optime Jul. Caes. Scaligerus (Poet. III, 98) Juvenalis ingenium definit. Dicit enim: „Juvenalis ardet, instat aperte, iugulat. Persius insultat; Horatius irridet.“ Tam praeclara igitur ac pulchra praecepta et sententias, quibus saturae Horatianae sunt insignes, multo rarius apud eum inveniuntur. Nude enim scelus castigare studuit. Quod igitur saturae eius obscoenis rebus abundant, non est, cur eum vituperemus; eae enim ipsae sincerum et purum animum poetae probant. Animo eius vehementer commoto, quem ex argumentorum tractatione cognoscere possumus, respondet versuum compositio, qui graves et generosi fluunt et maiore cura expoliti sunt. Interdum tamen Juvenalis furorem remittens facetias saturis immiscet, ut in quarta satura, ubi invehitur in Crispinum Aegyptium, hominem libidinibus omnibusque vitiis famosum, qui ex servo potens factus, in aula imperatoris multum va-

lebat. Inde occasionem sumens lepide multisque salibus Domitianum insectatur. Fingit enim poeta piscem ingentis magnitudinis esse captum et a piscatore metu delatorum principi dono datum. Qui quum maior esset, quam ut eum integrum patina caperet, patres ad imperatorem convocantur, qui deliberarent, utrum piscis in partes divideretur an integer apponeretur. Tanta urbanitate, tantis facetiis poeta totam descriptionem exornavit, ut urbanum et lepidum Horatii ingenium fere aequaret. Quid enim facetius est invocatione illa Musarum, quasi res gravissima agatur? quam vere ac festive patrum et amicorum principis stultitiam et ineptias depingit? In levissimo igitur argumento poeta multa cum arte stultam Domitiani luxuriam, ineptias, servile civium ingenium perstrinxit. Eadem fere hilaritate argumentum in satura XI tractavit. Ad castigandam enim nimiam civium luxuriam, quae potissimum in epulis splendide exstruendis conspicitur, poeta ita aggreditur, ut Persico cuidam ad se invitato suam parce et frugaliter vivendi rationem exponens, civibus hilariter frugalitatis imaginem ante oculos ponat. Totius saturae compositio tam suavis, tam lepida est, nihil ut commoti illius animi, qui in plerisque Juvenalis saturis apparet, videre possis. Multas etiam facetias continet satura XII. Maxime enim gaudio exsultans, quod amicus ex naufragio servatus est, poeta cum servis festo die Diis sacra facit. Descriptio festi diei urbana elegantia praestat et transitus ad alteram carminis partem, qua hereditatum captatores exagitat, lepidissimus est. Quamquam autem saturae illae facetum ac lepidum spirant animum, tamen ex nonnullis locis virum iratum videre possumus (cf. IV, 1—27, 108 sq.). Ut per has, quas nominavi, saturas sales urbani fusi sunt, ita ceteris, quamquam severissimum spirant animum, lepidi ioci

saepe admixti sunt, qui potissimum spectant ad perversas vulgi de natura deorum opiniones et inanes fabulas poeticas, quas persaepe poeta deridet (Sat. I, 81; II, 31. 130; IV, 34; VI, 59; IX, 63; X, 246. 314. XII, 23; XIII, 34. 76. 112; XIV, 261). His rebus allatis, varietas Juvenalis ingenii cognosci potest, qui, quamquam semper fere in saturis censoris acerbissimi munere fungens liberrimo sermone et maxima vi flagitia castigat, tamen, si res postulat, magna urbanitate et festivitate non tam vexare quam irridere studet. Varietati ingenii respondet loquendi ratio. Quamquam animus vehementer commotus sermonem quotidianum Horatii non permisit, et magnitudo scelerum acrem sermonem postulavit, tamen praeter sublimitatem verborumque pompam atque ubertatem, quae plerumque in saturis nobis occurrit, si res postulabat, remissius adhibuit dicendi genus, nusquam vero humile. Negandum quidem non est, eum interdum nimium captare orationem elatam et inani artis doctrinaeque ostentandae cupiditate duci (cf. Sat. IX, 102 sq.; X, 218 sq.; XI, 137 sq.; XIII, 23 sq. 34 sq. 40 sq. 62 sq.). Quodcunque huiuscemodi in eo vituperandum est, ex rhetorum schola fluxit, quae maximam vim ad saturas eius habuit. Nam rhetorum more sententiam universam propositam singulis exemplis, aptissime vel e vita vel ex historia sumptis, illustrat aliud ex alio evolvens. Quum autem Juvenalis hunc rhetorum morem magis, quam decebat, sequeretur, factum est, ut saturae eius non tam poetica inventione, quam doctrina et arte, qua singula tractabantur, excellerent. Quod ad formam attinet, quam Juvenalis saturis induit, quamquam rarius, quam Horatius, tamen interdum dramaticam adhibuit. In tertia enim satura, ubi molestias et pericula vitae urbanae depingit, Umbricium quendam, hominem pauperem, qui, moleste ferens mores corruptos homi-

num Romae viventium, Cumas migrare statuit, copiose de scelerum magnitudine disserentem inducit. Vis satirica valde augetur, quod partes suas detulit ad hominem maxima simplicitate insignem, ut civibus hoc virtutis exemplo proposito scelerum turpitudo magis etiam ante oculos poneretur. Quamquam Juvenalis interdum dialogi forma usus est, tamen diversum eius ab Horatio ingenium huic magis ad facetias inclinanti rationi non ita valde favebat. Compensavit autem hunc artis Horatianae defectum arte et veritate, qua argumenta velut in tabula depinxit et exornavit, exemplorum varietate, sententiarum gravitate. Praeter dramaticam formam, quam etiam saturis IV et IX induit, interdum epistolae forma usus est. Quamquam autem saturae ad certum hominem scriptae sunt, tamen, quod ad argumentorum delectum et componendi et dicendi rationem attinet, non tam epistolae quam saturae naturam servaverunt. In tertia decima enim satura, quae ad consolandum amicum composita est, facile occasionem sumpsit pravos mores et a priscis valde diversos veris coloribus depingendi. Tota satura spirat summam indignationem, quae facetiis mirum in modum admixtis valde lenitur. Non minus saturae XI. XII. XV, quamquam epistolarum forma indutae sunt, sale satirico sunt imbutae. Quum in universum Juvenalis saturarum naturam respiciamus, negare non possumus, eum ab Horatio et urbanitate, festivitate, lepore et poetica inventione longe esse superatum, et Scaligerum nimium ei tribuisse, principem Satiricorum eum appellantem (cf. Jul. Caes. Scal. Poet. VI, 6), attamen hoc confitendum est, Juvenalem in scelerum imaginibus veris coloribus adumbrandis singulari ingenio, in descriptionibus eximia arte insignique rerum cognitione, in exemplorum delectu subtili iudicio praestitisse.

Praeter nonnullos alios poetas satiricos, qui passim laudantur, ut Julius Rufus (cf. Mart. X, 99), Turnus (cf. Juv. I, 20), Tucca (Mart. II, 96 v. 7; cf. Casaub. l. c. p. 232 sqq.), ea aetate Sulpicia saturam scripsit, qua tristem civitatis statum queritur et in Domitianum invehitur, qui philosophos ex urbe expulit (v. 35). Philosophis autem expulsis omnes artes iacere et civitatis condicionem miserrimam manere auguratur. Laudatur satura a Martiale (X, 35) et a Scaligero (VI, 6). Dicit enim, in ea multum dexteritatis ad satiricam amarulentiam adspirantis esse, numeros vero, ut in eo genere poematis, non contemnendos. Longe aliter iudicat Casaubonus (l. c. p. 236).

His omnibus, quae et in universum de saturae Romanorum natura et de singulis poetis satiricis exposuimus, respectis, errare mihi non videor, si saturam Romanorum id poesis genus definio, quod a morum integritate profectum iudicio de rebus humanis libero et animi generosi honesta indignatione nititur et quod vivis coloribus imaginibusque hominum mores depingere eorumque stultitias modo leniter ridendo modo acriter castigando emendare et salubribus praeceptis gravissimisque sententiis virtutem commendare atque argumentis e vita communi petitis lectores tam delectare quam docere, denique omni labi et publicae et privatae mederi studet, quod quum vitae utilitatem respiciat, animum altius evolare non sinit et semper rerum humanarum fragilitatem admonet. Haec sufficere puto ad diiudicandam quaestionem illam, utrum satura iustum sit poema necne. Quod Horatius in dubitationem vocavit (Sat. I, 4, 39 sqq.), quod elatus spiritus, quem poesis postulat, saturae deesset et dicendi ratio sermoni propior esset. Eadem caussa ducti nonnulli grammatici Alexandrini comoediam in poesis generibus ponere dubitaverunt (cf. Cic.

orat. 20, 67). Saturarum vero argumenta et dicendi formam et finem consiliumque, quod poetae satirici sequebantur, contemplans, saturam Romanorum ad epicam poesin eamque didacticam apte referri posse puto. Acer quidem ille spiritus ac vis elata, qua poetae epici insignes sunt, ad naturam saturae non conveniebat. Nam poetae satirici imaginem vitae exprimere studentes argumentis e vita sumptis sermonem quotidianum accommodarent necesse erat.